

50 R.


33

V I R O
SVMME VENERABILI AMPLISSIMO
DOCTISSIMO QVE
MARTIN. GRULICHO
S. S. THEOL. DOCTORI
PASTORI ECCLESIAE TORGAVIENSIS PRIMARIO
EIVSQUE DIOECES. EPHORO
PARENTI OPTIMO
CALENDAS IANVARIAS

A. O. R. MDCCCLXIII.
PRECATVR FAVSTISSIMAS
ET
DE GEMINIS ELIAE DONIS

AD II. REG. II.
PAVCA EXPO NIT
DHerrn
OBEDIENTISSIMVS FILIVS
M. ADOLPHVS BOGISLAVS GRVLICH.

V. D. M.



TORGAVIAE LITTERIS RÜDELIANIS



§. I.

Iucundissimum piis accidit animis prorsus singularem prouidentissimi Numinis curam venerari, quae in propaganda conseruandaque saniori doctrina conspicitur, quantaque mente inuigilauerit medendis in sanctiori coetu malis, admirari. Cuius quidem rei exemplum in illustri loco propositum, praebet illa commemorabilis regni Israelitici defectio sub Rehabeamo facta, quam extrema rei publicae diuinioris pernicies, infastis Ierobeami consiliis copta, ac interitu demum totus regni finienda, presso quasi pede sequebatur. Temporis igitur spatium ab utriusque regni diuisione ad deportationem usque Babyloniam transactum, tam dignum notatu merito habendum, quam potest maxime. Auspicatissima enim Dauidis ac Salomonis opera factum erat, ut doctrina de generis humani redemptore ad maiorem ac splendidiorem perspicuitatis gradum assurget. Quem vero statum religionis prosperrimum, cum vix e vita discessisset Salomo, Nebathi filius, pestifera μοχθατρειας inuentione, tanta corrupit superstitione, ut vix grauius damnum, post protoplastorum lapsum, oeconomiae gratiae illatum credam. In quo quidem cognitum perspectumque est, quid efficere possint τὰ βάθη τοῦ Σατυᾶ, Apoc. II, 24. et quibus incendatur odiis ac furiis in genus humanum infensus ille hostis, qui quicquid a diuino Nume proficiscitur, nefariis ausibus inuidit. Vnde fictiorum numinum cultus, et reliqua sce-

A 2

Ierum

lerum ac flagitiorum colluies, a Sp. S. Ierobeami peccata vocantur, vt intelligatur a posteris, quam aegre tulerit Deus scelerum impatiens eiusmodi vesanam hominum consuetudinem. At enim, qua cura cauit, qui rebus humanis interest, sapientissimus arbiter, ne infandi orci consilia perficerentur, quavisi sapientiae medios inter impetus aduersariorum atque incursus ex iusta piorum hominum causa sic stetit, vt veritas caelestis altiori munita praesidio, sacrum ac venerabile caput efferret, eadem effecit is prouidentia, vt, agmine quasi facto, vates diuinitus excitati in ipsa temporum infelici conuersione prodirent. Hi ore pariter ac stylo caelitus armati, contra audentius iuerunt, hi damno ingrauescenti totis restiterunt viribus, hi miraculis in publico frequenter editis mortalium mentes, libidinibus tunc intentas, ad meliora vocarunt, scholasque constituerunt propheticas, tot casibus infaustis exagitatas. Quae singula, dici non potest, quantum animos multorum ab irruente incredulitate muniuerint, atque effecerint, ne fides labaseret ac pessum prorsus daretur. Nemo non, sub Achabi imperio, religionem summum in discrimen venturam, malisque mersam putauerat perituram, ob mirificos vanae superstitionis progressus, quos sceleratum illud connubium cum Iezabele, impotentem, in maritum non minus, quam ciues, dominationem exercente stabiliuerat. Sed tantum absuit in isto rerum discrimine, vt sapientia Dei et clementia coetum desereret sibi dilectum, vt egregiis potius muneribus auctum ornatumque excitaret Eliam, qui vindex rerum diuinatarum atque assertor, omnes ethnicismi superbientis insultus compesceret, et docendo, increpando, miracula perpetrando, scholas vbiuis colligendo, hanc pestem sacris purioribus exitiosam profligaret. Operae igitur pretium nos facturos existimamus, si, quantae res ab Elia fuerint gestae, paullo curatus perpende-

derimus. Iisdem saepissime adhuc machinationibus, labefactari nouimus rempublicam sacram, quibus olim fundamenta illius concusserit spiritus Deo inimicus, εἰδὼς ὅτι ἀληγον ναυγῶν ἔχει, Apoc. XII, 12. sed eodem adhuc robore ruinas eius suffulciuit, et in posterum suffulciet doctrinae puritatem diuina vis, quamquam, in hisce temporum nostrorum fecibus, humani acies ingenii, quibus tandem praesidiis bonae succurratur caussae, nullo modo possit inuestigare.

§. II. Nuperrime cum in relegendis rebus ab Elia gestis admodum delectarer, dupla illa huius portione, quam sibi Elisaeus experendam iudicauit, facile commotus sum, vt paullo accuratius illam contemplarer, eiusdemque caussas, non nihil intenta vi mentis, inquirerem. Sed, spectatis de hac re variis interpretum sententiis, fateor, dubiorum plena esse omnia. Neque tamen his dubitationibus adducor, vt memorabilem hanc vatum diuinorum actionem captum nostrum prorsus excedere, et nodis, quod aiunt, Gordiis implicatam existimem; quod saepius frequentiori meditatione succurrere solet aliquid, quo dilucidius paret, quem finem in rebus a se prodiit memoriae Spiritus diuinus sibi habuerit praefixum. Cap. II. posterioris libri Regum res ab Elia ultimo loco gestae capitulatum recensentur, et ita quidem, vt arctissimo quodam nexu cum regno gratiae oeconomico singula cohaereant. Inter quae haud ultimum fane locum occupat diligentia, quam summam adhibuit Elias, dum scholis propheticis apud Gilgalenses, Bethelicos et Hierichuntinos florentibus, ultimum vale, fausta suis precando, et varia constituendo, diceret, com. I - 4. Quo facto multa, quamuis exitu sinistro, tentauerat, quibus amicum Elisaeum ab se dimoueret, neque id, vt merito nos statuimus, fine iusta, qua impeditiebatur, caussa. Experiundi gratia factum

id fuisse a diuino vate, res textum circumstantes tam parum loquuntur, vt Eliam, existimem, abitum suum iam iamque instantem nesciuisse cum ignarissimis, nec aliam ob causam ab Elisaeo relinqui voluisse, quam quod ex quibusdam praefagiis, sed paullo obscurioribus, peculiarem aliquam Dei voluntatem intellexerit, cuius qui futurus sit exitus, non prospiceret quidem, propediem tamen, sentiret, manifestatum iri. Interim tamen Deus prophetae discessum latere noluit eius amicos, quandoquidem discipuli prophetarum in scholis supra dictis de re futura diuinitus certiores facti attinutum Elisaei animum saepius sollicitabant sciscitantes, num plenioris huius rei cognitionis sibi facta esset copia. Silentium vero his adolescentibus ab Elisaeo toties imperatum non tantum ea mente impositum fuisse, ne concursus ad Eliam fieret hominum, qui fidei expertes, prorsus indigni erant, qui tantae rei fierent testes, sed etiam pugnante in Elisaei animo caritatis, quo ille flagrabat, et doloris, quo turbatus erat, affectu, cuius aestu iactatus impediebatur, quo minus plura de re adeo tristi comminemorare auderet. Tum vero relictis quinquaginta comitibus, e longinquo sequentibus, peruentum erat ad ripas Iordanis. Quod quidem eo consilio factum, ne quid ab his committeretur, quod negotio tam singulari repugnaret. Sed propheta vtroque a citeriori ad ulteriorem ripam cogitante, aquae Iordanis, ecce, diuiduntur facilem his duumuiris traitionem praebiturae, qua facta, v. 8. 9. Elias tunc demum de exitu rerum suorum edoctus fido itineris comiti: *Postula, dicit, quid faciam tibi, antequam abs te tollar.*

§. III. Nunquam animum meum obfirmare potui, vt hos tantos viros crederem praeter paucula haec verba nihil protulisse, in tam notabili rerum articulo, qualem hic Eliae abitus

abitus praebebat. Omne potius colloquium, quod diuinus scriptor v. 9. 10. transiordanense refert, pro particula putans minima rerum in celebri illo loco ante gestarum, quam Thisbiti in caelum aditus aperiretur. Aliam namque rem, ex alia in textu nobis obuio explicandam cogitanti, primo mirifica vndarum Iordanis diuinsio erit respicienda. Summa deinceps horum virorum dignitas, qua reliquos omnes mortalium, si regnum gratiae spectaueris, tunc antecelluerunt; et tantus denique affectus in animis eorum insidens, necessario considerandus, me impellunt, ut sine erroris suspicione censem, longe plura intercessisse flumine superato colloquia, quam quidem, qui libros Regum diuinus auctor condidit, verbis suis voluit declarare.

Plurimi sine dubio, vtrosque inter amicos, sermones maximi momenti caesi sunt, qua via saluti populi in peius ruentis pariter ac rebus theologicis possit consuli, vereque credentium coetus tectus reddi atque incolunis, qua ratione variae hostium in religionem machinae sint sufflaminandae, et si qua sunt alia. Fortasse Elias de futuris ecclesiae fatis tristioribus Spiritus sancti impulsu grauiter differuit, variasque prudentiae practicae regulas suppeditauit manifestando, qui factum fuerit, vt in perniciem ab inimicis cogitata, in melius a Deo conuersa videantur. Tunc denique temporis, litterae illae ad Ioramum datae, quae II. Paralip. XXI, 21. exstant, consignatae videntur. Hinc duos hosce viros de futuris regni fatis eo tempore plura perspexisse statuimus, quam singuli aulae proceres assequi coniectando potuerunt. Mirandus per Iordanis alueum transitus, vt huic assentiar opinioni, in caussa est. Futuram enim ob Eliae transvectionem hoc miraculum factum fuisse, nemo temere, miraculum minime indigente miraculo, affirmabit, vtraque flu-

VIII

fluminis ripa, actioni huic peculiari satis idonea. Quid igitur obstat, quin istud miraculum pro auspicali reputemus, quod Eliseum ad futuram noui muneric inaugurationem magis promptum, dicendisque grauissimis redderet audiensem?

Cum denique singulos ultimae vitae dies in disponendis religionis negotiis confecerit Elias, minime credibile est, ultimo tandem loco tantarum rerum moderatorem adeo muneric fuisse oblitum, sive dissimilem, ut frigidis tempis contruerit negotiis. Contraria si statueris, tam grauis viri personae, quae clavum quasi tenet purioris doctrinae, parum consules, si admittas, in tam memorabili tempore verba prolata esse vel plane nulla, vel momenti leuioris. Ultima sane verba virorum Θεοπνέων in prisci aevi oeconomia spiritu fatidico erant plenissima; hinc non meruerim, ut crederem, curas Eliae et cogitationes pro ecclesia haud euigilasse, vel confabulationibus alia plane spectantibus eum tempus transegisse. Sed dispiciendum erit, qualis, rebus sic se habentibus, fuerit fors Elisei. Euvipias Stoicae plenum fuisse huncce virum, silente, vel potius contrarium docente serie rerum historica, nemini putamus persuasum fore. Multo magis, ut credamus, par esse videtur, animum eius amore, timore, spe, dolore, reliquisque affectibus, qui animos amicorum effodiunt abitum parantium, quie apud sanctissimos ex interuallis redeunt, haud leuiter fuisse offendit. Nutu diuino demandatam prouinciam, qua religionis negotium in perditissimo regni statu deinceps erat moderandum, cernere sine dubio sibi visus est. Difficillimum erat, abitum amici optimi, quem parentis numero habuerat, sine omni cicatrice memoria delere. Quid mirum, si tristis reipublicae turbulentae recordatio, dolor

ex

ex imbecillitatis sensu natus, spes denique, ob fidei heroi-
cae absentiam, cum timore quasi pugnans, tam mire arie-
tauerit Elisaei mentem, ut prorsus, quo se verteret, non
solum nesciret, sed etiam id, quod intus et in pectore a-
gebatur, nullo modo posset occultare. Quam ob caussam
Elias rei veritatem egregie perspiciens, obuiam ei occurre-
re quod consultum duxerit, satis appareret, qua ratione, ex
aerumnis forte, quo citius, eo melius, conquiesceret. Ni-
hil ergo fuit relictum, quo animus Elisaei turbidus solami-
ne reficeretur. Fortasse litteras ei promisit commendatorias
ad populi primates, ex quibus multos veritati fuisse addi-
ctos, Obadiae exemplum testatur, variasque subinde ex omni
theologiae oceano viarumque diuinarum penu deponens
veritates, quo facilius Elisaei fides euaderet in ἐλπὶ ομένων δ.
πόσατιν πρεψάματων ἔλεγχον δι βλεπομένων. Ebr. XI, i. Elisaeus
praeterea futurum munus, si abs re fetet, deprecatus vide-
tur, id quod a viris summis, Mose, Ieremia, ipsoque So-
spitatore haud alienum fuisse, nouimus, nec illa voluntatis
emendatio per saltum, seu actu procedit momentaneo.
Quam ob caussam Elias animum sodalis de gradu deiectum
demulcere cupiens, tandem ait: *Pete a me, quid tibi fa-
ciam, &c.*

Quibus verbis ex affectibus loquentium diiudicandis v-
nico quasi obtutu patet, quae in Elia erat, amoris pariter
ac severitatis vis; hinc non summo verba haec rigore, tan-
quam a strenue imperante profecta, intelligenda arbitramur,
sed videntur potius permissionis indicia, et manuductio, qua
solatum haec tenus prolatum et institutionis proximiae argu-
menta rite ab Elisaeo ponderarentur, clarissimeque patesce-
ret, quanta hucusque, laborauerit Elisaeus animi imbecilli-
tate, ita, ut sensus foret: Nihil reliquum feci, quo tibi sin-

B

gula,

gula, futuro muneri obeundo apprime salutaria retelauerim,
 Deus ipse voluit, ut hanc in te susciperes prouinciam. Im-
 probum laborem officiumque periculis et multo perficiendum
 sudore, non diffiteor; at enim vero, omnia prorsus felicia
 ac propere euasura certissime credas, si locum dederis insti-
 tutionibus, et solatiis, ex me, nuperime auditis. Nullus
 dubito, quin humerorum penitans imbecillitatem, tale sis
 recusaturus onus. Satis perspicio, te, futura meditantem,
 sacro quodam horrore perfundi, sed adspice ad summum
 illum ecclesiae arbitrum, qui ad praefens usque tempus tanta
 illam moderatus est sapientia. Desint vires; nunquam de-
 erit omnium largitor virium, ut ego absim, nihil tamen
 minus eius nutu cuncta perficiuntur, et illo annuente ad
 quaevis peragenda promptus eris atque instructus. Si quid
 restat, aperte loquere, satis apparebit, te nondum primos
 imbecillitatis humanae insultus superasse. Collige te, et profer,
 si quid potes, certe tamen confidas, uti huc dum totus in eo fui,
 ut tibi viae Numinis sapientissimae, qua fieri potest ratione,
 patescant, sic certissime spero, te vix ullo argumento posse
 impugnare effusam Dei clementiam pariter ac indulgentiam,
 qua eriguntur animi sollicitudine prostrati. Quod in me est,
 haud deero, precibus non intermissis id a Deo impetrare,
 ut ubiorem Sp. S. gratiam tibi largiatur. Seueram hanc
 increpationem, intimo cum amore coniunctam, huic quae-
 stioni subesse, res textum circumstantes, et indeoles loquen-
 tium, postulare suo quodam iure videntur. Varia επιτελοντις
 eiusmodi exempla collegit GLASSIVS I), et paruis si licet ma-
 gna componere, eandem, nisi nos omnia fallunt, inuenimus,
 nostraque dictio simillimam, prouocationem animam Iob
 a Deo ipso factam, Iob. XXXVIII, 3.
 אָז־נָא בְּבָרַךְ חֶלְצֵךְ וְחוֹדְצֵךְ
 וְאַשְׁאֵךְ וְאַשְׁאֵךְ quibus cognoscere verbis Iobus debuit,
 virium

i) Philol. f. p. 2037.

virium humanarum, scientiae et obiectiorum, perditae nostrae
indolis vanitatem, quam parum fieri possit, ut sapientia ho-
minum cum diuina illa ex parte comparetur, quantaque
cum attentione ac veneratione suscipienda sint diuina elo-
quia, &c. Iud. IX, 19. 1. Sam. XII, 3.

§. IV. Haec Eliae monita non in cassum fuisse dicta,
Elisaeus verbis declarat, quae ad ea regerit: v. 9. וְהִרְאָה־בָּאֵלֶּה שְׁנַיּוֹם בְּרִיחַק אֲלֵי:
plane obstruam sibi videret, fide, spe atque amore confir-
matus ab Eliae petit *Portionem Spiritus duplam*, quae in eo
erat, id quod sibi haud parum cessisse honori arbitramur.
In qua vero dupla portione, curatius definienda, interpretes
in diuersa trahuntur. Cui volupe est varias in hac re senten-
tias videre, BVDDEV M 2), DAV. PAREVM 3), GOTTL. KEY-
SELIZIVM 4) adeat. Nostrum enim non est, in praesentia
rerum, aliorum lites perscrutando et agitando ἀναγνωριζειν.
Siue autem de donorum varietate, seu de gradibus eorum,
quibus Elias reliquos superauit, plurimi interpretentur:
nulla tamen ratione Elisaeus, utramuis eligas opinionem,
a macula, vel nimium sibi dissidentis, vel arrogantis animi
plane vindicabitur. Veteres quidem Iudei, consilio in arena
capro, huic formidini mederi studuerunt negando, *aemula-
tionem esse crimen it filio ad patrem, aut in discipulo aduersus
magistrum* 5). Aemulationem autem quandam sibi fingere,
grauis colloquentium animi indoles nequaquam diuinari
partitur, cum non desint argumenta alias huius petiti cau-
sas subesse ostendentia, eademque omni propemodum ex-

B 2

ce-

2) in Hist. Eccl. Vet. Test. P. II, p. 426. sqq.

3) in Aduersariis ad 2. Reg. II, 9. p. 561.

4) in dissert. de Parte dupla Spiritus Eliae, cuius summam ex-
hibent: die Auszüge aus denen neuesten Disp. 1734. p. 131.

5) apud NOLDIVM in Concordant. Partic. Ebr. n. 1717.

ceptione maiora. Elisaeus nimirum *eandem*, qua tanto cum honore tantaque molestia defunctus erat Elias, prouinciam, fibi demandatam cernebat: Quid igitur, quaeſo, naturali idearum nexui magis respondere potuit, quam, vt etiam de iisdem requisitis quaereret, quibus magistrum ac parentem suum vnicē pollere, experiundo fuerat edoctus. De eodem scopo cogitans, sine dubio iisdem praesidiis putauit anquirendum. Atque hoc quidem tanto consecutus est studio, vt in tam ancipiū temporis momento virium magnitudinem, quae ἀνθεῖ in prophetarum coryphaeos descendere solebat, nec numerari, nec ponderari voluerit, sed potius paribus instrui virtutibus ex propitia Dei voluntate. Ergo portione dupliци nil nisi *easdem*, et quidem *praestantissimas dotes*, fibi exoptauisse, eo facilius credere fas esse putamus, quo liberriores hac ratione sumus ab obiectionibus ex complexu causarum moralium alias profluentibus. Vocis ipsius שָׁנִים natales, eiusque proprium significatum, habemus Deuter. XXI, 17. Deus eodem loco iura primogeniti, in familiae herciscundae negotio salua iubet esse, et peculiaria. Natu maximo, sine respectu ad matrem, sine fuerit pelleх, sine legitima coniux, duplex opum patriarcharum pars adiudicatur. Curat nimirum pater: לְחַת לוּ שָׁנִים בְּכֹל אָשֶׁר וַיַּצֵּא quam legem eiusmodi doctrinae apparatu 10. SELDENVS 6) explicare suscepit, vt reliquis omnibus hac in cauſa facile praeriperetur palma. Quemadmodum autem vſu euuenit, vt venerabile illud primogeniturae ius ad alias quoque res praestantiamque illarum designandam applicaretur; ita quoque factum esse maxime probabile fit, vt ex singulis eiusdem partibus prouerbia quaedam et symbola nascerentur. Quam saepissime adhibeatur in Scr. S. praerogatiua aetatis ad denotandas affectiones rerum

ve-

6) de successionibus ad leges Ebr. in bona defunctorum, Cap. 5. 6.

veneratione dignissimas, ipsius Sosipatoris, eiusque amicorum, nubes testimoniorum in N. T. occurrentium, haud dubitare sinit, qui perpenderit loca Rom. VIII, 29. Ebr. I, 6. Apoc. I, 4. Coloss. I, 15. Ebr. XII, 23. Nec olim ab hoc vocabuli vsu se abstinuisse veteres, patet ex Exod. IV, 22. Ps. LXXXIX, 28. Job. XVIII, 13. Ies. XIV, 30. in quibus singulis בָּבֶן quodcumque suo modo, magnum, summum, reliquisque aliqua ratione praefat, et laude vel attentione dignum iudicatur. Dum ergo, iure hoc orientis populi ex mira in inueniendis imaginibus sagacitate, egregie adumbrauerint quamcunque rerum praefatam, id quoque specialioribus in illo, vocibus, quas dicunt, technicis, accidisse, nobis videtur vero simillimum. Ne autem κατ' ὑπόνοιαν videantur dicta, prouocamus ad locum illustrem, Zachar. XIII, 8. At in omni terra, inquit Iobu, duae partes (שְׁנִים) eorum, qui in ea erunt excisae exspirabunt: tertia supererit in ea, quam terriam ego per ignem traiciam, eosque explorabo, probaboque ut argumentum, &c. in quo eadem vox, sed proprio vsui prorsus reperitur contraria. Non puto, multos esse, qui contra nos dubitent, hoc in vaticinio de rebus fieri sermonem ad initia N. T. pertinentibus. Certo constituit diuinus vates, fore, ut maior Messiae hostium multitudo, huius mundi opibus elata, tandem deprimatur vindice Dei dextra; ex parte contra amicorum Dei, tenuem societatem liberrimam plane futuram excisione, pernicie, aliisque diuinae vindictae documentis. Distinguit propheta inter pios et impios, illos per שְׁנִים hos per תְּשִׁוּתָה denotat. Illos seruandos et egregiis beandos donis vaticinatur, quamquam his ob incredulitatem pereundum foret. Constat autem crebriori experientia, quanta magnorum diuitium ac doctorum hominum turba, luce salutari spreta poenas fuerit stultitiae iustissimas. Cum interim

electorum societas inter περικαθάματα saepius relata, nūnquam a praestantissimo solatio destitueretur. Nisi itaque Deo incongruam quandam διχοτομίαν, vel τετραχοτομίαν affinxeris, cum sub auspiciis Noui Testamenti bonitatis et iustitiae manifestauerit testimonia satis luculenta necesse est, vocis פִּישְׁבָּבוֹם in textu nobis allato agnoscere vsum proverbialem, quo, quamcunque velis, praestantiam designat, qua honoribus, aut si mauis, opibus, numero, potentia, animo elato, &c. alter alterum antecellit. Quae verba Paullus instar commentatoris explicat, i. Cor. I, 26, hunc in modum: Ὁν πολλοὶ συφόι κατὰ σάρκα, ὃν πολλοὶ δυνατοί, ὃν πολλοὶ ἐγενένται, ἀλλοὶ τὰ μωρὰ τοῦ κοσμου ἔβαλέντες Θεὸς. vel ex mente Iesaiæ XIV, 30. atten-dit Deus ad בָּכְנוּרְלִים primogenitos tenuium seu rēnūfīmōs. Diuinus itaque codex, dum ipse vsum huius locutionis in aprico ponat, haud perspicio, cur non ex reliquis significati-bus hunc vel maximum putarem? A me impetrare ita-que non possum, vt credam, tam grauiter CASP. errasse SANCTIVM, quem פִּישְׁבָּבוֹם per copiosum leximum Spiritum tulisse constat. Prouocat ad similem aliarum linguarum in-dolem, vbi *duplum* et *amplum* solent eiusdem esse notionis, teste SERVIO ad Æneid. Virgilii I, 659. verba: *Duplicem gemmis, auroque coronam.* Sed nihil attinet exterorum o-pe-nes ad illustrandam conuinctare sententiam. Scriptura domesticis abundat testimonis, quibus comprobatur, du-plum pro eo poni, quod eminentia quadam alias res quo-cunque modo antecellit. Sic Prouerbior. XXXI, 21. per duplices vestes, matronae industria praestantis, usque de-bitu aptas, abundantiam earum, ex contextu intelligimus 7).

Nee

7) MUSEO BREMENSI, Vol. I. p. 169. seqq. inserta legitur. Celeberr. I. C. HARENBERGII dissert. ad h. l. qui haecce verba ita circumscribit: „Non metuit, domui suae de nine: Nam „tota

Nec aliud quid Paullus sibi vult, quando rite fungentes Diaconorum officio ad altiores gradus uehendos censet. "Οἱ καλῶς προεστῶτες, διπλῆς τιμῆς ἀξιούμενοι, 1. Tim. V, 17. coll. Apoc. XVIII, 6. Matth. XXIII, 17. Sed plura in re notissima afferre supersedeo, cum non desint, qui satis et abunde explicuere, quid mystici lateat in binario numero, toties in maximarum rerum adumbratione adhibito 8). Acquiescamus igitur in sententia, per בְּנֵי שָׁמֶן nihil aliud intelligi, quam easdem excellentissimas et praestantissimas diuinæ doctes, quas olim saepius Elisa, experientia magistra, senserat in anteceßore præsentibus et saluberrimis: Eius quidem modi, quibus appareret sole clarus Deum, ὑπὲ ἐν περιστοῦ ἐν αὐτοῖς μέθαι, η νοῦντεν, in intimis nostris efficere posse. Quibus denique non solum varia et multa eius attributa patet sunt solatio plenissima, sed quilibet etiam idoneus redditur prouincia demandata in honorem tantum eius defungi, et ex mente summi Numinis, piorum coetui, δόδοις ἐν καιῷ, τὸ στοχεῖον spirituale, Luc. XII, 42.

§. V.

"tota domus eius induita est miniaceis. Concluditur ab ornamento tantarum aedium, ac diligentia extraordinaria in expolienda domo, ad necessaria ordinaria, eo magis sollicite adhibita. Sed tantum abest, ut solida semper multititudine dibaphi et purpuræ ad curas ordinarias concludi possit, ut potius saepe numero contrarium inde liceat subsumi. Deinde loquitur tex-tus, non de sententia et iudicio aliorum, sed ipsis matris familiis tranquillo animo, quo fractum iri iniurias hyemis secure in sinu gaudet. Ut taceam, non pretio, sed multititudine magis vestimentorum, noxam gelu saeuientis depelli. Parum abesse a nostra sententia ipsum MART. GEIERVM, deprehendimus, in Comment. in Proverb. p. 1706. ubi simil plura de voce בְּנֵי שָׁמֶן differit.

8) GLASSIUS in Philol. f. p. 1914. B. W. MARBERGER, im grossen Sühn - und Sünd - Opfer, des grossen Versöhn - Tages. P. I. Medit. V. p. 216. seqq.



§. V. Frustra mouisse lapidem eos puto, qui dona, perhibent, Eliae singularia indicare munera huius viri θεου παραγουντά, et parum frugis ex hoc labore percipi, si computus in recensendis vtriusque miraculis nimis sollicite instituatur. Haud multum ad magnitudinem huius vel illius prophetae contulisse videtur, siue pluribus innotuerit miraculis, seu rarioribus. Quis enim Dauidi, Danieli, Ioanni Baptistae, aliisque magnis viris, laudem vnquam denegabit, quamuis omni miraculorum virtute fuerint destituti? Elisaeus cur de miraculis futuris tunc temporis non cogitauerit, in promptu ratio est. Miracula enim pertinent ad reservata diuina, et usus tantum Dei oeconomicos, id quod vix quisquam ibit infinitias. Nemini autem mortalium cum datum sit diuidicare, quo tempore, numero, ordine, hoc vel illud miraculum vel plane nullum, sit necessarium; audaciae notam sine dubio incurreret, qui precibus flagitaret eorum facultatem, quae tamen ex liberrimo Numinis consilio, et secundum scopum, quem sibi praefixit oeconomia gratiae in uniuersum 9) spectata, inter mortales dispensantur. Quare scientiam non minus, quam experientiam theologicam Eli-saeum, reor, probe calluisse, Eliae successorem, virum gratia Sp. S. eminentem citari; sed miraculorum famam futurae Dei voluntati esse relinquendam. Accedit, quod Scr. S. prorsus careat exemplis, quemquam virum sacrum eiusmodi rem precibus tam incongruis contendisse. Spiritus

9) Paulus itaque apud Ephefinos, eorum aegratos, per τούδιας et σημαντικά imposta ad sanitatem potuit reducere, Act. XIX, 12. Timotheus autem λέσχυχος, non nisi regulis diaeteticis restitutus. Egregie meditatus est, consilia diuina, in hoc negotio, 10. CHRYSOSTOMVS, in Orat. I. Antiochie habita ad 1. Tim. V, 23. ubi ostendit, quanta sapientia Deus miraculorum usum vel permisit, vel impeauerit.

ritus ille Elianus, qui tanta suavitate successoris mentem alliebat, eiusmodi erat donorum Sp. S. complexus, quibus beatus subiectum iustificatum et renouatum, per gratiam conseruantem et perseverantem, et variorum, quibus abundant, saluberiornorum effectuum. Non tantum Eliae Spiritus, complectitur intellectum mirifice eius illuminatum, sed et sanctissimam voluntatem, quo utroque adhuc vera docendo, piissimeque viuendo, θεμέλιον ecclesiae, Eph. II, 20. factus erat. Praeterea Sp. S. animum huius viri ita praeparauerat, ut non modo ad diuinam, sed ad sui quoque imitationem, excitare potuerit auditores. Tantum enim absuit, ut quidquam eum potuerit amore sui Domini vel tantillum diuellere, ut potius diuina quaedam vis animos trahens haud permittere, ut graue ipsius conscientiae vulnus infligeretur. Innumeratas, quae dici possunt maximaes, tentationes feliciter erat elutatus, per praesentem Sp. S. qui etiam consilii et fortitudinis Ies. XI, 2. ac zeli heroici 10) auctor est. Denique in primis consideranda erat vis in precibus fundendis et supplicacionibus, qua facultate, instar βιασού, Matth. XI, 12. tanto eminuit gradu, ut vota eius genibus Dei quasi incerata, nunquam confusa recederent. Et quae sunt reliqua, per χρέων σφεργίτουσαν καὶ τελεοῦσαν in renouatos effundenda Sp. S. χρηστα, quae vbique propitiis Dei in homines fauoris radios spargunt. Copiam ac pretium horum donorum, per annum seriem, ex consuetudine magis Elisaeo persentiscere, quam reliquorum paucissimis, sine dubio datum erat. Ne autem nullos, ex consilio diuino, sequenti aeuo fructus ecclesia perciperet, tanquam ρεαλόκος in fide, 1. Ioh. II, 13. nulla alia via dignum se iudicauit futuris fore beneficiis, nisi nite-

C

retur,

10) *Quomodo differat zelus heroicus a zelo communi, ostendit B. WERNSDORFF. in diff. de feroore, frigore, ac tempore theologicō, §. XVII. coll. 1. Reg. XIX, 17.*

XVIII

retur, fieri ἀνὴ τέλεος, εἰς μέτρον ὑλικας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ, Eph. IV, 13. Haec ipsa locupletia Sp. S. munera maximi fecit caelestis genius, Luc. I, 17. qui palam profitetur, Ioanni ornamenti instar et characteris quasi indelebilis fore πνεύμα καὶ δύναμις Ἡλίου, missis eius miraculis, quibus nec ipse debuit celebrari Protobaptista. Si vero copia Spiritus S. donorum sanctificantium tantum constituit eminentiae gradum, ut tot saeculorum interuallo animos feriret hominum, in Ioanne de nouo conspicua: Elisaeus, rationibus ita subductis, haud leui se alligasset oscitantiae, nisi δύναμιν eandem praecipuum censuisset praesidium, quo futurus exornari debeat ecclesiae antistes. Duplicitati ergo, si quis tenacius inhaerere vellet, non modo rei grauitatem non ex asse assequeretur, sed veritati contrarius, angustioribus iusto describeret cancellis. Non geminas, sed centuplices, et quod supra est, suppeditabit dotium praestantissimarum species, cui gratiae huius indolem meditatione vteriori perscrutari libuerit. Vtunque opere in hoc bene desudaueris, et quantum potes, metaphysice, in ipsis tandem copiae, praestantiae, maiestatis et eminentiae notionibus nihilominus subsistendum tibi esse, deprehendes, ut parum absit, quin illis reiectis transeat quaestio in lites vocabularias. Bona igitur, non phoenice rariora, sed mere theologica in votis habuit, dum בְּשִׁיר de spiritu Eliae sibi comprecatus est, ne officio Eliae admouendus sibi animus deesset magistri, placide accepturus, si his ipsis donis Deus θαυματορεγος facultatem vellet, tanquam ἐπίμετρον, superaddere. Exemplo docuit singulos, quibus sacris praefesse contigit, non frustraneas esse pias preces, quibus caelum ipsum pulsamus, neunctionis gratia, qua pulchre summi eminuerunt theologi, pro virium modulo, et in reliquos deriuatur. Quis non sibi exoptet spiritus vberiora dona, quibus valuerunt, LV.

THE-

THERVS, ARNDIVS, SPENERVS, FRANKIVS, OPORINVS, BENGELIVS,
STEINMEZIVS, et si qui sunt alii. Is sine dubio parum abesset,
non tantum ab Elisaei exemplo, sed etiam a regula Paulli:
Μημονένευετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν, ὃν αὐτοθεωροῦντες τὴν ἔκβασιν τῆς
αὐτοφύος, μημεῖσθε τὴν πίσιν, Ebr. XIII, 7.

§. VI. Enim vero nobis, cum non liceat esse in illustri hoc voto longioribus, ad sequentia properamus, perscrutando, quibus caussis commotus Elias, arduum quid ac difficile Elisaeum postulasse sic iudicet: *Rem difficultem petiisti*, v. 10. Deus ipse duplicem, aut centuplicem, largiri potest eadem facilitate gratiam. In Elia autem caussam difficultatis huius quaerere omnino esset difficillimum, quoniam ipse non poterat, quin fateretur: *χάρτι Θεοῦ εἰμι, ὁ εἰμι*, i Cor. XV, 10. inopiae conscius, a se ipso, nec plura, nec pauciora, in alios transferre poterat *χαρτοπάτα*. Maximam itaque huius implendi desiderii difficultatem Elias videret, quod per breuissimum tempus adhuc interesse poterat rebus mortalium. Proxime aberat a momento, quo per *ἐνθεοντας μὲν*, Apoc. III, 12. illustrem, coetui consummatorum erat inferendus, et viuus et sublimis in caelum auferendus. Hanc autem mortalium commutationem non sine omni mortis sensu momentaneo quidem, acerbo tamen, confici posse constat ^{ii).} Sed Elias, ipse firmamento egens, hoc tam auspicio tempore coactum se intellexit preces suas cum anxiis amici votis coniungere, ut illum in acquirendis Spiritus S. donis pionisu adiuuaret. Ipse trepidulus, huic mundo ultimum daturus vale, diuidere adigebatur animi meditamenta, quae lubentissime omnia et singula tamen in futuram direxisset mutationem. Nonne difficile quis putaret, si homo, praeter

C 2

cae.

ii) V. CALOVIVS in Bibl. Illustr. ad Matth. XVII, 3. it. SCHERZERVIS in System. p. 545.



caelestia nihil meditans, in ultima vitae statione, pro amicis
relinquendis adhuc multa timere, iisque alieno in negotio
auxilium ferre tenetur? Sed aliud accedit difficultatis mo-
mentum. Elisaeus mira flagrabat cupiditate vocis ex ipso
Elia percipiendae, ratas esse suas preces et confirmatas. Hac
autem facultate Elias se prorsus videbat destitutum, id quod
fine dubio bonum virum haud leuiter momordisse, cre-
dere fas est, tametsi de futuris Dei auxiliis nullus dubitarer.
Id autem fregit prophetae animum, quod non satis euidens
Dei testimonium exstaret, quo spes et expectatio amici ad
plenissimam perueniret *ἀποδέξῃ*. Nihil itaque supererat,
quam ut suos ei esset, ne τὰ δεῖα prouidentiae diuinæ pro-
xime comparitura negligenter oscitantius 12), attenderet potius
ad ea omni, qua posset, cura ac circumspectione. Gemina
itaque hac difficultate pressus, signum constituit, ex quo
verum diiudicare posset, si votum suum Deus ratum esse
iussiferit, v. 10. *Si me a te auferri videris, istud tibi continget,*
si minus, non continget. Non de ipsa Sp. S. futura praesentia,
sed de rei certitudine, tempore, modo et eiusdem apodixi,
Eliae sermo est: Illam enim nunquam defuturam, certissime
sciuit vates, temporis autem momenti ignarus, quo de hac
apodixi conuinceretur Elisa, ex signo et fiduciali spe, diiudicandam
esse et expectandam censuit. Tali fere signo
Elieser explorauerat diuinam voluntatem, Genef. XXIV, 14.
et Elias ipse olim, 1. Reg. XVII, 10. 11. interrogando viduam
sareptanam, periculum fecit dignoscendae personae, cuius ope
in posterum sustentaretur. Sic Dauides curis se expediuit,
de

12.) *Dissert. τὸ δεῖον a miraculo proprio dicto, τὸ ὑπερθυτικόν
καὶ αὐθικόν, quae duo in miraculo sunt necessaria, in δεῖος non
semper necessaria requisita, quo sit, ut omne miraculum sit δεῖον,
non omne δεῖον sit miraculum ita I. C. DANNHAVERVS in
Theol. Conscientiariz, Tom. II. p. 55. seqq.*

de auxilio Dei sollicitus, Pf. LXXXVI, 16. dum ait. *Edem
mihi faustum omen: quo viso meos pudeat osores, quod tu mibi,
Ioua, succurras.* Et eiusdem generis praesidium etiam hoc in loco Elias dignum iudicauit, quo accepto non esset, quod successor eius amplius de fauore Dei proprie ambigeret. Nec irritum fuisse consilium, euentu ipso edocemur. Eliae enim ascendentis mox testis esse oculatus dignus iudicatus est, nec defuit diuina cura, quae nouum Eliae successorem, gratia illustraret, variisque temptationibus redderet in dies animo valentiores. Amisso namque parente ad suos redibat Elisa, sublata Eliae laena, quae ab illo deciderat, traiecit fluum, cum aquis percussis, in utramque partem diuidenterunt. Haud refragamur quidem, filios prophetarum e regione stantes inde didicisse, quod spiritus Elianus Eliae infederit. Sed si plures saepe una fidelia dealbantur parieres, recordemini, hoc miraculum responsi loco fuisse diuini Eliseo fide calenti, ex quo intelligeret, sensim ac pedentem petitionem de spiritu Eliae impleri. Si etiam non solum in miraculo animo difixi haeremus, sed nobis etiam internam Elisei animi indolem ante oculos sistimus, apprime patescat, virum hunc egregie consiliis ultimis antecessoris ad altiora euecti satis fecisse. Miramur fidei in Elisa negotium, id quod in primis hac occasione ferendum putauit. Vbi enim ad Iordanis ripam constituerat: Vbi est, inquit, Deus Elisei, v. 14. Νητ—εν quae verba paucissimis quidem concepta sunt, sed tamen fructu saluberrimo abundant. Faceant hinc criticorum ambages, et cuilibet meditanti apparabit, 10H. FRISCHMVTHVM 13), rem acutetigisse conuer-

C 3

ten-

13) in *Dissert. de Eliae nomine et prosapia*, §. XI. in *Thef. Disp. Philol. Theol.* Vol. I. p. 485. quam sententiam calculo approbatam vid. in der *Bibel mit der Auslegung der Engelländer*. Tom. IV. p. 300.

tentem: *Adbuc praesto est, iacta esto tela, Eliae Deus adhuc viuit.* Quot verba, tot fidei pugnantis et sub carnis onere et sanguinis luctantis testimonia! Ex abrupto et maximo cum affectu prolata verba putes, necesse est, quae χάρις συνέχουσα, 2. Cor. V, 14. extorserat, laetus, concomitantes Spiritus Sancti afflatus nec hoc defuisse in negotio, ubi spe, fiducia, desiderio, aliisque armis diuinitus exhibitis, ad talem confirmationis gradum electus sit, ut ipsum ἐλεγχούσης ὑπόστατην fidei adeo sentiret, ut sine mora in Deum omnes curas coniceret, et confiteri disceret: πάντα τοχίων, εὐ τῷ ἐνδυναμοῦντι μὲν, Phil. III, 13. Ex his autem nobis patescit, partim quanto labore Elisa nunquam cessauerit, usque dum voti sui damnatur, partim illa Dei συγκατάθεσις, qua vota in honorem suum et ecclesiae salutem concepta nihil moratus impletat, ne ancipites diu haereant, Φέροντες θησαυρὸν εἰς ὀστακλίον σκέυεται, 2. Corinth. IV, 7.

§. VII. Quamuis autem Deus, miraculosa hac fluminis traiectione, de qua modo expositum fuit, gratioribus istis Elisaei precibus satis fecerit eius expectationi, tamen cum rem nondum ita confectam esse cerneret, ut nihil de hac viri perfectione interna amplius quaerendum videretur; aliam addidit viam et rationem, qua patesceret donorum Sp. S. vberior accessus. Variis enim multisque temptationibus ostendere Deus voluit, quantus sit fidei labor, quantaque vicissitudine ad gratiae eiusmodi perseverantis altiores gradus perueniretur. Pauciores enim primum eius de raptu Eliae in caelum sermonem, ea animi acceperunt intentione, quae res tanti momenti, quae omnem de nouissimis doctrinam tam mirifice illustrabat, fuit penitanda. Putabant enim, Eliam qua animam quidem in caelum assūtum, sed corpus eius alicubi

alicubi forte iacere, quod seruerissime¹⁴⁾ negante Elisa, nihilo minus volebant ad sepeliendum exquirere, v. 17. Quis dubitet, sinistra haec primae institutionis fata haud leuem de futuris inieccisse scrupulum, precibus vnice et *ἐν πάσῃ πεστηρεγέτει euellendum?* Deinde, Hierichunte haud meliora officii sui recens suscepit commoda Elisaeo nostro diuinitus data sunt, quae v. 18. auctor recenset *Θεόπνευσος.* Cum ei oppidani ostendissent, loci amoenitatem cum aquarum vitio esse coniunctam, et inde manantem sterilitatem; sale ex phiala noua in scaturiginem coniecto, damno huic medicas adhibuit manus, miraculo prorsus peculiari. Sed liceat nobis caussas huius rei omnium primas paullulum ruminari. Hierichuntis sessores parci erant Numinis diuini cultores et infrequentes. Nec facile quis persuaderi sibi sinet, eos tam enormous fuisse oscitationis et stupiditatis quin, damni ex aquis pestiferis oriundi prorsus immemores, haud prius incommoda huius rei senserint, quam sub Elisaei aduentum. Elias, veteranus ille *Θαυματερεγέτει,* qui nihil non preeibus suis efficere posse ab omni populo ducebatur, repetitis hanc urbem visitauerat vicibus, nec tamen vñquam, vrbanus populous

14) *בְּנֵי עַד — בְּשׁ* cum instarent illi ad pudorem, inquit auctor sacer: Parum ore et arte disputatoria valuisse, mihi probabile fit, Elisam. Valde attonitus fuit. Sine dubio id menteum boni viri magnopere commouit, quod homines tam perfrectae frontis, rei veritati, quam ipsis oculis, aiebat, usurpasse, argumentis impudentius et morosius refragarentur. Hinc contentiobus direxit, experientiae rei exitum committere consultius dixit. Contigit hoc loco prophetiae fere id, quod in academia Bononiensi, Professoribus accidisse fertur, Saec. XVII. ineunte, quod nempe lectio finita quilibet auditor potuerit sibi dubia visa oppugnare, et professor coactus fuerit lectio suam defendere, ridendus et sibilandus, si nequinasset. Vid: Epistolas ad IOH. KEPLERVM scriptas. Lipl. 1718. Epist. 303.

pulus de malo hoc tollendo cogitauit. Fateor, hoc mihi concoctu admodum difficile fuisse visum. Credimus ergo, experiundo cognoscere voluisse Hierichuntinos Elisaem, qualis vir fiet. Subdubitabant fortasse, num ille sit, qui eandem nominis Eliani mensuram, quam praese ferebat, implere possit. Hinc fecerunt periculum, remedium sanandaecatarriginis quaerendo, ut eo magis elucesceret, an spiritu Eliae praeditus sit, vel eo plane destitutus. Deus quidem hac etiam occasione, malo animo cogitata in meliora conuertit misso miraculo, quo honor serui sui immunis redderetur. Elisaem tamen multa cum tentatione et variis curis atque dolore patrasse miraculum, eadem credimus certitudine, quam manifestum est, factum hoc illustre variis distinctam fuisse sermonibus et adhortationibus πρὸς ὄνοδομήν spectantibus. Tandem modum excedebat omnem Bethelis iuuenilis cohors, v. 23. Prophetam enim, cum visitatum iret scholam ibidem propherarum efflorescentem, conuiciis ante portas excipiebant triuisi ac competis dignis, non paruuli pueri, sed idololatricae eiusdem vrbis religionis alumni, dictitantes ei: Ascende, calue, ascende, calue. Non enim de caluitie diuini yatis tunc agebatur res, sed de veritate ascensionis Eliae, de ipsa veritatum caelestium auctoritate, quam instar personarum ex συρφετῷ, turpiter vellicare hanc erubuerunt, nouumque Eliae successorem tanto honore iudicare prorsus indignum 15). Quanto igitur labore, quantis precibus, quanta denique fiducia erat opus, ne sub tantarum onere tenta-

15) Hanc sententiam, a nonnullis Patrum et iudaicorum doctorum, nec non a BOCHARTO approbatam in Hieroz. P. I. L. 3. c. 9. p. 818. et AVG. CALMETO ad h. l. omni eruditonis apparatu ad summum probabilitatis gradum perduxit Anonymus quidam, in diario gall. Bibliotheca Germanique, dicto. T. XXXI. Art. VIII. p. 153. seqq.

tentationem, animus Eliae, sub tam asperimis officiis at-
spiciis labaseceret. Atcum fere de παρέγνωστα Prophetae fuisset,
nisi Deus, atrocissimo vindictae specimine, truculentis nempe
vrsarum iactibus, et sui ipsius, et ministri honorem seue-
rissime vindicasset, memor precum trans Iordanem olim
anxie fusarum. Triplex ergo, in triplici tentatione, doctoris
huius miraculosa conseruatio pignoris instar esse debuit
diuini Spiritus, facultates eius praestantissimas in posterum
nunquam fore absentes et otiosas, neque nesciret, quantaes
molis esset, alterum Eliam commutata reddere persona.
Quousque fata itaque huius viri a transitu cum Elia facto
per Iordanem, ad hanc Bethele immisam, aduersam plane
fortunam, animo mecum reputo, iucunde sese mihi ante
oculos fistit theologi consummatissimi imago, qui μετὰ φόβου
νοῆ τέρπου spartam humeris imponendam sentit, animo de-
niique fiducia pleno eam aggreditur, persuasus, se ne ad
momentum quidem Sp. S. dotibus carere posse, et tandem
variis temptationum generibus perficitur, ne ignoret, maximi
interesse inter Eliae pallium, et praestantissimam eiusdem ac
diuinitus excitatam virtutem, qua ad ecclesiae salutem tanta
cum laude incubuerat. Aliis relictum esto, qualem nostra
aerata spiritus Eliani abundantia aur defectus habeat nexum
cum prosperis ecclesiae fatis, vel eius vulneribus. Nobis
sufficiet, si nunquam inanes redeunt piae preces, a Davide
mutuo acceptae ריחך טובָה תבְּחִנִּי בָּאָרֶץ מִשּׁוֹר : Pf. CXLIII.

Habes, PARENTS INDULGENTISSIME, misarum mecum
rusticantium mediocre omnino specimen, quod nomini rvo
cur strenae loco proscribere audeam, caussa commotus sum
haud vna. Nondum, quod quidem non sine summo animi
dolore fatendum, non dum, eheu, dessit lugens patria iusti-
tiae

tiae ac vindictae diuinæ quoddam quasi esse bidental, in quod
truculentissima fortunæ adhuc vibrantur fulmina. Simil-
limam, oculis edocti, palatio Martis Thracici, sentimus,
in quo, ut ait **STATIVS**, innumerae adhuc strepunt minae, et

*Tristissima virtus
Stat medio, lactusque furor, vultuque cruento
Mors armata sedet:*

Sed parum hi solaminis ac recreationis animo afferent af-
flicto et conturbato, qui tempus vnice lamentationibus teren-
dum censem, haud solliciti, quibus sauciis mentibus fa-
lubris paretur medicina. Consilium amississimum ipsa cum re-
familiari, nisi ex ore two salubria quaevius et frugifera dicti-
tante pendere contigisset, ex quo factum est, ut nunquam abs te abirem, quin noui semper iugi **TVA** Scr. S. explicatione
variæ solatii fontes fuerint aperti, quibus animum belli cala-
mitate turbatum recreasti, cum res omnis perdita videretur;
et verissimam esse illam Hipponeñsium præfulsis sententiam
qua Scr. S. tanquam medicinam animi praedicat disiecti, o-
mnibus corsulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabe-
scientia rescientem, omnia perdita reparantem, omniaque deprava-
uata corridentem. Si quid ergo est in me ingenii, vel expe-
rientialiae, id tuis potissimum laboribus iure meritoque ac-
ceptum refero. Igitur aequi bonique consulas, quaeſo, **IN-**
DVLGENTISSIME PATER, me, vel hoc nomine, grati me-
morisque animi pignus, quamquam illud leuius, tibi afferre.
Quemadmodum autem me profiteor, ab omnibus, qui te
colunt et obseruant, remunerandi facultate quam longissime
superari, ita nemini adhuc animi obseruantia et pietate con-
cessi, nec concedam vñquam. Non eruditionem, qua leuiter
tin-

tinctum me prospiceor, amorem tamen senties in his p
gellis, et caelum me tetigisse putabo, hoc vno si patris
affectu ac persona, non censoris ac iudicis, hunc acceperis
ingenii mei foetum. Fauori tuo sin parum desudasse, nec
vbique demorsos curasse vngues videar, complectare, testifi-
cantem, ea quoque tibi sacra fore, si quando meliora domi
meae nascentur; siquidem boni, apud priscos iam, farre at-
que sitilla erant religiosi.

Vecors tandem ipse forem, si gratiae diuinae radios,
inter nubila sparsos, dissimularem, quibus a tranquillitate,
in hoc temporum discriminе, ad laetam fere exultationem
traductus, publice edoctus sum, quid valeat propitius Dei
fauor in discriminе, cui remouendo nostra prorsus imparia
esse meditamenta cernimus. Cum enim nouus super com-
munem luctum adueniret, et ipso die natali proxime elapso,
morro corruptus grauiter iaceres; de nouo, malo decre-
scente, nobis laetantibus traditus es saluus atque incolumis.
Nequaquam mihi liceat in tam dulcissimo gratiae diuinae
testimonio esse negligentи. Deum itaque beneficii huius be-
nignissimum auctorem et largitorem supplex veneror, ne
illud vnam gratissima excidere memoria patiatur. Effi-
ciat is sua cura, vt, quem ingressus es nuper, annum feli-
citer, idem exeat tibi faustus atque prosperrimus. Summus
ille rerum arbiter, in cuius diptera omnia futuri temporis
spatia descripta sunt, propitius res tuas secundet, vt florent
atque perennent, in seruos usque annos. Leuet ille sene-
citus molestias, onusque eius Aetna grauius, suppeditetque
animi pariter et corporis vires, quibus muneri tuo graui-
simo, sine intermissione sufficere possis, ac studio indefesso.
Transmittat diuinae misericordiae abyssus propediem de

alma

XXVIII

alma pace solidissimam famam, qua nihil exoptatus, nihil,
quod magis sincerissimi gaudii mentibus afferat afflitis, co-
gitari potest. Atque haec quidem vota, quin rata sint fu-
tura, eo minus dubito, quo plures scio idem habere in
optatis, iisque continuis precibus ac votis Deum prosequi,
Vale, PARENTS OPTIME, ecclesiae decus, TVAE gentis delicium,
afflictorum perfugium, ac viue TIBI, mihi que in nestoreos
vsque annos, qui meas rationes summo TVO amori,
quin ipsum totum, trado atque commendo.

Calend. Ianuar. MDCCCLXIII.



E M E N D A N D A.

Pag. III. lin. 9. totus l. totius. P. XVI. not. 9. lin. 1. aegratos
l. aegratos. ibid. lin. 4. diuina l. diuina. ibid. lin. 5.
Antiochie l. Antiochiae. P. XX. not. 12. lin. 1. Dffert.
l. Differt,

94 A 7368



KD A



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

V I R O 38
SVMME VENERABILI AMPLISSIMO
DOCTISSIMO QVE
MARTIN. GRULICHIO
S. S. THEOL. DOCTORI
PASTORI ECCLESIAE TORGAVIENSIS PRIMARIO
EIVSQVE DIOECES. EPHORO
PARENTI OPTIMO
CALENDAS IANVARIAS
A. O. R. MDCCCLXIII.
PRECATVR FAVSTISSIMAS
ET
DE GEMINIS ELIAE DONIS
AD II. REG. II.
PAVCA EXPONIT
OBEDIENTISSIMVS FILIVS *Dr. Herrn*
M. ADOLPHVS BOGISLAVS GRVLICH.

V. D. M.

TORGAVIAE LITTERIS RÜDELIANIS

